



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Malvm Svmmi Mali Sive De infinita grauitate peccati
mortalis Libri Qvinq[ue]**

Pelecycus, Johannes

Monachii, 1615

Prooemium, Quo explicatur mortalis peccati ratio, totiusq[ue] operis
partitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52025)



PROOEMIUM,

*Quo explicatur mortalis peccati ratio,
totiusq; operis partitio.*

ANtequam ad explicationem ipsam
eius grauitatis aggredior: q̄ mor-
tali peccato inest, quamq; tractandam
suscipio, ne Andabatarum more in te-
nebris depugnare, & victoriã, Lecto-
ris scilicet commodum vtilitatemque
negligere meritò, sine ipsius merito,
videri possim, viam & naturam, ne di-
cam immanissimam atrocitatem eius
primò omnium, totius deinde operis
dñuisionem breuiter pro instituti mei
ratione, ob oculos ponendam iudicauit.
Continetur illa defectu volũtario per-
fectionis alicuius, ex diuina & æterna
lege homini debita, quo ille ab ea lege
diuina & æterna desciscit, quæ tanquã
prima & certissima regula modum ei
absolutè necessarium præfinit ad con-
sequendam in cœlis supremam beati-
tudinem. Ratio hæc Doctõrum om-
nium calculo approbata, immanem
peccati mortiferi grauitatem & mali-
tiam

tiam

PRO O E M I V M.

tiam continet, sed sublimiùs aliquan-
tò, quàm vt ab omnibus intelligatur,
planiùs igitur ac pressius, vt magis illa
eluceat, illustrioribusq; radijs emicet,
proponi debet & explicari. Id, vt opi-
nor, fiet, si ordine (licet peccatù mor-
tale omnè peruertat) tractemus. Pri-
mò, quis peccato mortali offendatur.
Secundò, quis illo eù offendat, quis eù
peccatù mortale admittat. Tertio, qd
eum ad id faciendum, hoc est, peccan-
dum, impellat. Quartò, quæ damna
ille propterea, quasue pœnas incurrat.
Quintò & postremò, quod qualeuè
peccati læthiferi remedium medicina-
que existat. His quinque totidem li-
bri respondebunt. Affulgeat de cœlo
alma lux, & conatus nostros pro-
moueat, finemq; optatum
concedat.

DE IN-